CONRADUS DE SOLTAU

Entstehungsort unbestimmt, 1421 Seite 183v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35120
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



Lamech

Reternum domine verbum.

Sequitur 12 littera lamech. In hac enim 12 parte virtutem dei et facta describit dicens temporalia finiri. Sed non mandata eius iuxta illud Celum et terra transibunt. Verba autem mea non transibunt. Et quia hec mandata sunt opere sunt inquirenda. Et ideo congrue huic octonario preponitur littera lamech id est cor seruitutis. Unde dicit In eternum. Ad litteram In eternum manet solempnis ordo celestium statutorum. Vel etiam in terra sunt celi qui enarrant gloriam dei scilicet sancti qui sunt in terra corpore. In celo sunt mente dicentes cum apostolo Nostra conuersatio in celis est. Et sic est sensus In eternum id est sine intermissione verbum tuum permanet in celo scilicet per obseruantiam in quolibet iusto. In generatione et generationem id est a veteri testamento in nouum scilicet et permanet veritas tua id est mandatorum tuorum fundasti terram scilicet ecclesiam sanctam tuam in terra militante. Et permanet scilicet hic per gratiam et in vita eterna per gloriam. Ordinatione tua etc. id est omnia temporalia perseuerant quam diu tu ordinasti ea manere. Et subdit causam dicens Quoniam omnia etc. Ad litteram quia omnia pater ad nutum suum disposuit. Nisi quod lex tua id est nisi meditatus fuissem legem tuam etc. tunc forte perissem in humilitate mea id est in deiectione et afflictione presentis vite. Et ideo iustus in lege domini iugiter meditatur ne vincatur. Meternum non obliuiscar id est per totam vitam. Iustificationes tuas id est leges que iustificant quia in ipsis viuificasti me vita gratie. Et quia viuificasti me tuus sum ego. Non vicinorum non dominorum duorum olim meus esse volui et perii modo tuus sum. Saluum me fac scilicet in futuro periculo sicut in preterito quoniam iustificationes etc. scilicet meditatione et opere. Me expectauerunt scilicet ut faceret me consentire malo. Et sic perderent sed inde non perii. Quia testimonia etc. Et hec insidias peccatori me expectantium euasi testimonia scilicet quibus sufferentibus temptationem promisisti coronam. Intellexi etc. Omnis consummationis vidi scilicet per fidem finem id est Christum qui est retributio et beatitudo nostra. Et finis omnis perfecte et bone operationis. Vel omnis consummationis id est intellexi in quo debeat consistere finis omnis bone actionis. Latum mandatum. Illud est caritas sine qua non valet quecumque tormentorum martiria pati. In qua lex et prophete pendent. Et ideo est nimis id est valde latum. Quia etiam ad inimicos se extendit quos diligere precepit ut dicit Mt. Diligite inimicos vestros etc.

183v